



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propugnaculum: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Laurentius Beyerlinck n. 19

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

Religione deficere, quin prius ab ipso Ordine secernatur.
Hæc ille.

*Miro cum
fructu in
iuuentutis
educatio-
nem in-
sumbit.*

19. A LAVRENTIO BEYERLINCK *Canonico Antuerpiensi, scriptis, & eruditione celeberrimo: in Theatro vite humanae tom. 2. lit. C. Nostro (inquit) sæculo, inter omnes Religionem aliquam professos, sedulo, & miro cum fructu Catechisationi iuuentutis incumbunt Religiosi, siue Clerici Societatis IESV, vel hoc Nomine celebrandi quod hanc rem Ecclesiæ Dei vtilissimam magno zelo curent, & exacta methodo Iuuentutis regimini accommodatam exequantur: sic vt proprium eorumdem munus videatur, & in quod omnes incumbunt, teneros puerorum animos Christianæ disciplinæ formulis, veluti cum ipso lacte imbuere. Quo fit, vt ijs locis, quibus Societas hæc admissa est, videre liceat, Iuuenes moribus, & pietate instructos, & de ijs etiam rebus, quas alibi adultiores ignorant, differentes. Neque dumtaxat honestioribus hunc laborem impendunt, sed & pauperibus, qui arte & manu victum quærunt, aut impensis eleemosynarum, vel è publico aluntur, assiduâ instructione diebus, quibus ab opere feriantur, adsunt: nec ab agrestium pia directione, vbi ea per Parochos negligitur, se subtrahunt, quin exemplo Apostoli omnibus omnia facti, omnium moribus, & disciplinæ se accommodant, sic vt in sola Antuerpia habeas subinde triginta numero, & plures pro varietate locorum, qui in hac pietate desudant. Hæc ille apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 3. cap. 6. fol. 355.*

*Omnium
moribus &
disciplina
se accom-
modat.*

*Eius insti-
tutio celo,
ac calitibus
dignum
stratage-
ma.*

20. A VINCENTIO BLASCO DE LA NVZA *In Historia Ecclesiastica, & seculari Aragoniæ Tom. 1. qui testimonium pro Societate latinè redditum hoc scribit: Quod (inquit) Illustrem fecit hunc annum, facietque in ventura retro sæcula, fuit quod Sancta Sedes Apostolica confirmarit Religionem Societatis IESV. Cælo dignum ipsisque Cœlitibus stratagemata, dare hisce temporibus Sacrum illud Institutum, vnde tanti, tamque sancti & docti homines prodierunt. Hæc ille in Imag. cit. lib. 5. cap. 10. pag. 670.*